

M. ANTONIUS  
MARCO BARBADICO,  
Serenissimo Venetiarum Principi,  
& Senatui fœlicitatem.



*E*stri splendor Imperii is est, Princeps &  
Patres amplissimi, ea civium justitia ac mo-  
rum sanctitas, ut nemo sit rerum humana-  
rum tam negligens, qui Venetæ urbis origi-  
nem & ejus incrementa non vebementer cu-  
piat cognoscere. Novi equidem multos, qui  
hoc ipsum secuti, miro quodam ejus rei inve-  
stigandæ mibi flagrare visi sunt studio: in quibus me quoque  
jam inde fuisse fateor, ex quo fortunatissimis littoribus vestris  
superioribus annis applicui. Magnificentissimo nanque urbis  
apparatu inspecto, stupendo situ, rerum opulentia, & in his di-  
vina quadam Reipublicæ administrandæ forma, incredibilis cu-  
piditas continuò animum incessit cognoscendi, qui tanti Imperii  
conditores fuissent: quos vel ex eo summos fuisse viros arbitra-  
bar, quod urbem tam præclare fundatam posteris reliquissent.  
Nec mibi in eo diu laborandum fuit: haud enim multo post  
ipsum appulsum, quod tantopere optabam, consecutus, in com-  
mentarios quosdam in annalium speciem conscriptos incidi: in-  
de alia quædam ignobilium scriptorum monumenta videndi co-  
pia nobis facta est: quæ omnia (aperte enim dicam quod sen-  
tio) tam squalida, fœdaque barbarie operta offendit, ut ne-  
mo cognoscendæ historiæ tam cupidus sit, quem non facile ab  
instituta lectione avertere potuissent. Iniquo quidem tuli ani-  
mo, urbem clarissimam, & quæ omnium una in toto orbe Ro-  
mani Imperii vere æmula & videri & dici poterat, nullum  
ad eam diem vel mediocrem scriptorem fuisse sortitam: judica-  
vique ex eo, verissimum esse illud Horatii: *In humanis nihil*  
*ex omni parte beatum fuisse unquam.* Haud enim parum infœ-  
liciter cum Veneto nomine actum ad id tempus arbitrabar,